



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Flores Directorii Inqvisorvm

**Bariola, Luigi**

**Mediolani, 1625**

Consilivm Vigessimvm.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11434**

Nauar. comment. 4. de Regularib. numero 42.

Cum ergo ista consuetudo, & sit rationabilis (nam aliàs non tandiù perseuerasset) & sit generalis vbique enim practicatur, & sit immemorabilis, siquidem nullus scribentium aliquando insinuauit, quod Moniales illegitimæ non potuerint eligi ad dignitates, & officia, ergo consuetudo ista retinenda, amplectenda, & omnibus modis seruanda erit.

Addo etiam, quod in Monasterio Monialium S. N. Mediolani, Ordinis Sancti Benedicti Monialis quædam fuit per multos annos Abbatissa, & tamen natalium defectus patiebatur.

Addo finaliter Abbatissas quamplures N. Mediolani patientes defectus natalium officia cum regimine exercuisse, nec aliquando dubitatum, an id illegitimè fuerit factum.

Tandem Sac. Congreg. Episcoporum, & Regularium, multoties decreuit Moniales illegitimas posse eligi in superiores, non obstante Bulla Syxti V. ita Episcopo Spoleti 3. Ianuarij 1594. ita Episcopo Cortonæ 4. Octobris 1594. ita Episcopo Catari 21. Martij 1594. & ita sentio &c.

---

CONSILIVM VIGESSIMVM.

**R**etrus Laicus vxoratus, vellet pro filijs suis, & successoribus in propria domo Ius patronatum instituere ex pecunijs tamen Regularis Sacerdotis.

Quæritur an tuta conscientia id agere possit, an potius teneatur pecunias ad hunc effectum receptas restituere Religioni, cuius filius, & professus est Regularis ipse.

Respon-

**R**espondetur, quod indubitati Iuris est, Petrum omninò teneri ad restitutionem omnium pecuniarum sub hoc titulo receptarum, quia per professionem Ius disponendi, ac dispensandi, tum alia quacunq; bona siue mobilia, siue immobilia acquiruntur Prelato Religionis. Cap. non dicatis. 12. q. 1. & ibidem Canonistæ. Cap. Monaci de statu Monac. & cap. Quidam eodem titulo. Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. Cap. Abbates 18. q. vltima. Et quãuis Regularibus liceat habere aliquid cum licentia Prælati, id tamen intelligitur quò ad vsum simplicem facti, prout fuit declaratum in Concilio Lateranense. Cap. Monachi, de statu Monachorum & cap. insinuante, qui Clericum, vel Monachum: Obstat quoque Bulla Clem. VIII. de Largitione munerum, Nauar. de hoc abundè comm. 2. de Regularibus. Neque sub titulo eleemosinæ sine Prælati licentia potest Regularis aliquid elargiri. Nauar. vbi supra num. 8. & ita sentio &c.

---

CONSILIVM VIGESIMVMPRIMVM.

**A**N Regularis Sacramentum Eucharistiæ ministrans Laicis absque licentia Parochi, sit eo ipso excommunicatus.

**V**idetur dicendum, quod sic primò, quia sic statuitur in Clementina prima de Priuilegijs, & excessibus priuilegiatorum. Secundò, quia huius sententiæ videtur Martinus Nauarr. in Manuali Confessariorum cap. 21. num. 52. Attamen contrarium tanquam certum credendum est; quia licet in Clementina recitata excommunicentur eo ipso Regulares